

II. fol. 64. succedit *Lectura in Evangelium S. Johannis*, incipiens a *Lirani* Prologo: *Facies Aquilae desuper* &c. ut in *Bibliis Glossatis*. Ad calcem: *Finis jo. in 4^a feria post octauam resurrectionis Domini*.

III. fol. 137. *Lectura in Evangelium S. Matthaei* praemisso *Lirani* generali Prologo in *Evangelia*: *Quatuor facies uni* &c. Ad calcem: *finis Mathei in vigilia circumcissionis*.

IV. fol. 203. *Lectura in Evangelium S. Marci* praemisso itidem *Lirani* Prologo: *Facies leonis a dextris ipsorum quatuor* &c. Ad calcem: *finis marci in octaua epiphaniae*.

V. fol. 232. p. 2. *Lectura in Evangelium S. Lucae* cum *Lirani* Prologo: *Facies bouis a sinistris* &c. Ad calcem: *finis in 4^a feria post inuocauit*. Nolo prolixior esse in recensendo *Commentario* et *Glossa ord.* et *Lirani Postillis* maximam partem conueto, quem, ut in *Codice* non procedat debito *Librorum* ordine, pro *Scholis* tamen ex *adscriptis* ad calces autumo, ab *Novembri* vel *Decembri* 1445. usque ad *Novembrem* 1446. praelectum fuisse, initio a *Matthaeo*, et fine in *Actis Apostolorum*. dato. In *Autoris* notitiam deducere possunt, quae ad finem *Codicis* ab eadem manu leguntur: *Anno domini M CCCCX^o et eodem anno papa alexander erat bononiae et obiit ibidem in ascensione christi et electus est ibidem pro eo iohannes XXIII. post pentecosten, et ego conradus Rumel veni de curia circa*

*festum michaelis et processu ad sacros ordines in angaria ante natiuitatem Domini quando incipiebat annus Domini XI. Considera o conrade, quam misericors est Deus et invoca eum, ut omnes illi mendaces inueniantur, qui dicunt tibi, quod non permanes in bono proposito, specialiter ut ille mendax inueniatur, qui dixit tibi anno Domini MCCCCXI. in die conceptionis marie in domo conradi Ruoker, quod infra spacium trium annorum haberes duos pueros. Cum Nota haec Codici coaeva sit, adeoque circa a. 1446. scripta, Scriptore tunc saltem annum 58. agente, mirum, quam is animo alte infixum habuerit illud Pauli: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat*. Ad quos *Rumelios* ille pertinuerit, ignoro; nihil enim de illo in *Scriptoribus nostris Academicis*. *Conradi* nomine deceptum quendam *Thecae Codicis* inscripsisse video: *M. Conradi Salder*. Virum hunc ex *Rotenacker* oriundum anno *Praelectionis nostrae* 1446. *Artium tantum Magistrum* et *Nat. Rhenanae Procuratorem* inuenio, quae cum *Cathedra theologica* vix congruunt.*

CXCIV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 150
Folior. 359. f. bene scriptus, et rubricis distinctus exhibet: I. ut e calce praeoccupo, *Lecturam* in *Actus Apostolorum per R. Magistrum Stephanum marquardi de stockbarn pro primo cursu suo in solempni vniuersitate Wyen. lectam*.

Sam. Absque anni nota, sed quae de Viro hoc memorantur, jam ad ejus *Leſuram in Esdram et Nehemiam* retuli. In praesenti ante textum etiam Prologus *Hieronimi* exponitur hoc ingressu: *Lucas natione syrus. Beatus Jeronimus premit- tens prologum huic libro quinque principaliter in eo facit &c.* Textus vero ipse sic init: *Primum quidem sermonem &c. Hic incipit liber actuum apostolorum, in quo sanctus lucas primo se continuat ad precedentia &c.* Ad calcem accedit Tabula materiarum in praeclaro hoc Commentario tractatarum.

II. fol. 132. *Dominica prima in 40ma. Incipit materia de confessione edita per venerabilem et egregium doctorem magistrum thomam de baselpach in austria situata et predicata ab eodem Anno Domini 1432° in castro (Burg) Wyennensi &c. in tempore quadragesimali.* En virum in utraque cathedra tempore suo utilissimum. *Sermones VIII.* sunt, qui ad rite de peccatis confitendum ubertim instruunt. Praeit illos Expositio *Lectionis Epistolae Pauli II. ad Corinth.* illius Dominicae: *Hortamur vos &c.* quae incipit: *Quia tempus ualde preciosum est, et quidquid de eo perdidimus, hoc non reuertitur &c.* Extabant hi *Sermones mss.* etiam in Biblioth. Canoniae *S. Hippolyti in Austria.* Nobis vero accedit *Sermo de Jejunio predicatus 1431.* *Sermones II. de Gula,* ad quorum calcem notatus idem annus, *Cursus alter quadragesimalis constans Sermonibus II. de*

Penitentia, I. de Confessione, III. de Satisfactione, cujus initium: *Facite dignos fructus penitentiae. Ita hortatur nos predicator penitentiae b. baptista &c.* Atque posteriora haec *T. I. Scriptt. Univ. Vien.* inter *Hafelbachii* Lucubrationes p. 156. et seqq. non inveni.

III. fol. 253. p. 2. *Incipit tractatus de confessione et discussione Conscientiae.* Et ad calcem: *Hoc opusculum editum est a domino doctore Magistro Nicolao Dinkelspuel doctore sacre theologie studij Wyennens. qui obiit Wyenne Anno domini M° CCCC° XXXIII°* Extare impressum dixi *Vol. I. P. 2. col. 1775.* et alibi. Initium est: *Secundum Magistrum et doctores in 4°.* &c. E diversis Librariorum inscriptionibus perperam multiplicari Scripta Antiquorum, vel ex hoc opusculo liquet. Vide *T. I. Scriptt. Univ. Vien.* p. 92. ubi ter vel quater adfertur.

IV. fol. 265. *Συλλογη* de Sacramento Poenitentiae, cui insunt sequentia: 1) *Casus Papales, Episcopales,* et qui sint remouendi a *communione sacramenti.* 2) *Generalis katolicorum confessio.* Prolixia et minuta de omnibus vitiis. 3) *Excerpta e Job. Gersoni de absolutione, excommunicationis et iniunctione penitentiae.* Item *de modis excommunicationum, irregularitatum et absolucionibus ab eisdem.* 4) *Excerpta a quodam tractatu,* in quibus de Confessarii habitu ad Excommunicatos, Casibus reservatis implicitos, et moribundos, de Satisfactionibus, et 6. Vitiis capitalibus agitur. 5) *Casus ex-*

excommunicationis majoris excerpti a summa (Bartholom. de S. Concordio O. P.) *Pisani*, cum mantissa ulteriorum Adnotationum. Qui a N. II. haecenus relata, nulla ratione iis, quae sub artis typographicae primordia ad conscientiarum directionem vulgata sunt, inferiora adtentius inspexerit, fatebitur, oportet, Seculo XV. non institutionem in scitu necessariis et opportunis ad salutem hominibus, sed homines institutioni defuisse.

V. fol. 300. Συλλογή *Sermonum* in Evangelia Dominicarum; primum aliquot *de Adventu*, dein *post Epiphaniam*, tum *post Pentecosten*, demum absque inscriptione *de duobus Praeceptis Caritatis*, qui postremi saltem videri possint *Nicolai de Dünkelspühl*, cum de eadem materia extet ejus *Tractatus I.* in edit. *Argentinesi* 1516. f.

VI. fol. 336. p. 2. Incipiunt *sermones de septem donis spiritus sancti Collecti per venerabilem magistrum dominum Nicolaum de dünkelspüchel Sacre theologie professorem*. Sunt numero VIII. et primus incipit: *Egredietur uirga de radice yesse &c.* II. XI. *Ex hac auctoritate et alijs sacre scripture et sanctorum constat &c.* Memorantur *Sermones* hi mss. T. I. *Scriptt. Univ. Vien.* p. 94. In Codice adhaeret *Sermo* de *Eucharistia ad Honorabiles patres et dominos ceterosque fratres* in illud Luc. 14. *Homo quidam fecit cenam magnam &c.* fors *Mellici* habitus.

CXCVL

Codex partim membranaceus, R. 3030 partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 248. f. per duas columnas exaratus, rubricis pernotatus, et olim, ut *fol. 2.* et 196. notatur: *Domus Porte beate Marie virginis in Axpach ordinis Carthusien. prouincie Austrie fundacionis Domini Haydenrici de Meyssam nobilis baronis*, continet *Commentaria Haimonis* Sec. IX. *Halberstadiens.* Episcopi in omnes *D. Pauli Epistolas*, et quidem magis integra, quam in Exemplo, quod *Vol. I. P. 1. col. 309.* exhibui, et, quod ad ordinem adinet, conformia Editioni *Paris. 1550.* 8. quacum contendit. Initium est: *A Chorintho ciuitate Metropoli Achaye regionis scripsit apostolus paulus Romanis &c.* Finis: *ad contemplationem superne visionis christo duce pertingere mereamur.* Nomen Autoris non nisi recenti manu Codici praescriptum est.

CXCVII.

Codex membranaceus lat. Sec. U. 10 XIV. Folior. 226. f. maj. perelegantius exaratus, et rubricis insignis, absque ullo Titulo est Expositio five *Glossa* dicta *Magistralis* a *Compilatore Magistro Sententiarum* seu *Petro Lombardo* Doctore et Episcopo *Parisiensi* Sec. XII. in omnes *D. Pauli Epistolas* ita ordinata, ut *Textus Apostoli* caractere luculento columnam angustam interiorem, *Expositio* ipsa minutius perscripta latam exteriori-